

Johann Bacmeister

**Programma Quo Salvatorem Et Redemptorem Nostrum Jesum Christum De  
Morte, Diabolo & Inferno gloriosissime Triumphantem Universitatis  
Rostochiensis Rector Joannes Bacmeisterus Med. D. Prof. P. & Poliater.  
Omnibus Academicae iurisdictioni subiectis religiose colendum ob oculos ponit,  
eosdemq[ue] ad piam & sobriam Paschatos Christiani Celebrationem serio &  
amicie invitat : [P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus ipso Paschatos festo. Anno  
M. DC. LXII.]**

Rostochii: Kilius, [1662]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734934971>

Druck Freier  Zugang



Ru. Progr. 1662/a  
Johann-Darmesteter  
Progr. passim.



3

PROGRAMMA  
Quo  
SALVATOREM ET REDEM-  
PTOREM NOSTRUM  
**J E S U M**  
**CHRISTUM.**  
*D.*  
Morte, Diabolo & Inferno  
gloriofissimè  
**TRIUMPHANTEM**  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
RECTOR  
**JOANNES BACMEISTERUS**

Med. D. Prof. P. & Poliater.  
Omnibus Academicæ jurisdictioni sub-  
iectis religiose colendum ob oculos ponit,  
eosdemq; ad piam & sobriam  
**PASCHATOS CHRISTIANI**  
Celebrationem seriò & amicè invitat.



ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr,

111. 111. 111. 111.



P

Lutarchus autor gravissimus Ora-  
culturum gentilium Christo in Mundum na-  
to, defectum, vocisq; Pythiae in silentii claves  
conjectæ, marcorem, cum stupore animad-  
vertens, causas inopinatæ hujus rei laborio-  
sè quidem, & non sine eruditionis laude, fru-  
stra tamen si propositi argumenti rationem  
videas: non frustra, si fructum attendas,  
quem ipsa veritas Evangelii inde divinâ pro-  
videntia cepit, integro libro reddere aggressus  
est. In quo & Dæmones ipsos mortales  
esse affirmat, exemplumq; de Panis memo-  
rando interitu adjicit, quem ille quidem regnante Tiberio Cæsare contigisse  
narrat, nos etiam mortuo jam & resurgentे Christo ( id enim sub Tiberio )  
factum arbitramur. Æmiliani, inquit, ( ut Criniti verbis l. 14. honest, disc.  
c. 3. referam ) rhetoris ac prudentis viri pater Epiteresa, cum Italiam adna-  
vigaret, circa Insulas, quas appellant Echinadas ( victoria navalı, quam Janus  
Austriacus à Turcis maximā eorum clade Anno 1571. Non. Octobr. reporta-  
vit, hodiē celebres ) & ventis deficientibus propè Paxas Insulas ( inter Leuca-  
diam & Corcyram, Plin. teste, sitas ) venisset, repente ab illis Insulis vox magna  
est audita, qua Thannus quidam vocabatur, homo scilicet Ægyptius, ejusdemq;  
navis gubernator. Cunctos percellebat rei novitas; nec respondebat Thann-  
us nisi tertio vocatus. Et tum voce majori illi edicitur; Cum fueris propè  
Paludem; nuncia, Pana Deum esse mortuum. Quo auditio territi omnes & du-  
bii, num illi voci obtemperandum? Consuluit ipse Thannus, si venti pro vo-  
to spirarent, nihil prorius dicendum: si vero ibidem venti deficerent, prolo-  
quendum

135

quendum esse, quod audierant. Quid sit? paludem attingunt, cessant venti: Ergo *Thannus* in æquor pronus clara voce exclamat. *Magnus Pan mortuus est.* Quo nunciato, statim magnus multorum gemitus quodam quasi miraculo exauditus est. Tantæ rei rumores cum universam Urbem Romam complevissent, Tiberius re comperta, Philosophos convocavit, quæsitū quisnam ille *Pan* esset? cui, illum à Mercurio & Penelope originem duxisse, responderunt; Fortè & de mortalitatis illius ratione & turba gementium Philosophico more quæsitum variè, ut solet in re nova & cuius solvenda meræ nobis in ratione tenebræ. Quid autem si hisce svariiter de *Pane* nugantibus, melioris ac majoris miraculi venisset nuncius, JEHOVAM, DEUM VERUM, GLORIÆ DOMINUM à Pontio Pilato crucifixum ac mortuū? Quid si eundē tertią die resurrexisse? Et hæc omnia antiquissimis à primo usq; Mundi initio Prophetatum vaticiniis consentaneæ gesta? Et hunc solum verum DEUM, ea causa hominem factum, venisse in mundum, ut opera Diaboli deltrucret? Oraculorum illorum mendacissimorum ora obtunderet & perpetuis catenis Pana illum & Pythium Apollinem totamq; adeo sceleratissimorum Deastrorum colluviem æternis catenis vinciret? Verè gementibus & æternum dolentibus in Stygiâ palude angelis Satanæ. Et quæ alia sunt religionis nostræ arcana toto mundo revelanda postquam è mortuis surrexit, & vivacissimo verbi sui sono jam penetrat & subjicit sibi universa. Quorum conscientia, nos quidem Pana illum non miramur mortuum, qui & causam in victoria Christi resurgentis scimus, & mortis illud genus intelligimus: & ab eodem, nos liberatos esse gloriamur & exultamus, cum cœlesti angelorum exercitu cantantes voce jubilationis. Surrexit Pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, Alleluja. Claudio sepulcro, è mortuis prodiit vivus, & thesauros omnes cœlestium bonorum, quos Veteris Sacramenti arcula sub velo Mosis tectos habebat, publicè exposuit in se completos, nobisq; donandos credentibus. Fiscella scirpea, quæ infantulum Mosen continebat, extra quidem vilis & picea, intus vero elegantissimo puero ornatisima. Sed quid ornatius iste interior, nisi Pharaonis adsit, quæ aperiat, filia? Sic in Mosaici fœderis arcâ tectus latebat JESUS: quem remoto velamine tandem conspœcta erat filia Sion. Vel in uno Paschali agno quot mysteria Agni illius DEI, qui morte sua tulit peccata mundi? Augustinus recensuit, & nos ex illo breviter. *Agnus* eligitur, ut simplicitas & innocentia designetur. *Masculus* quæritur, ut Virtus comprobetur. *Immaculatus*, ut sine crimine, *amiculus*, ut exacto

Jo(3)

exacto

exacto prædicationis tempore. *Perfectus*, ut instructus omni virtutis gene-  
re. Mense primo, ut totus annus à primordio proprio consequatur. Quartæ  
decima luna, ut lumine veritatis impleto erroris nox operiatur. Ad vespérām,  
ut seculi occasus imminens approbetur. Ejecto fermento, ut à corde perversa  
mentis malitia corrupta tollatur. Oblito sanguine liminibus domorum, ut fi-  
gura dominicæ passionis fronte signetur. Igne assū; est enim sermo Christi  
robustus cibus. Neq; in aqua madidus; non est enim delicate interpretationis  
humido languore solvendus. Nihil prætermittitur; nihil enim in Christo o-  
mnino reprobatur. Offa non conteruntur; quia nec comminui, hoc est, vinci  
in quoquam Christus potest. Quicquid superest divinis ignib; imponitur; quia  
quod quis capere non potest, Christi divinæ scientiæ remittit. Nec, quod  
stantes edere iussi, frustra est: nec, quod lumbis succincti, additis baculis, pedibus  
calceatis, festinantes, cum azymis & piuridiis. Ut singuli totius agni & esus pa-  
schalis atomi, singula sint Sacra menta in lucem manifestam producta, post-  
quam omnem præfigurationi umbram pleno fulgere dispulit Pascha no-  
strum, Sol justitia CHRISTUS, mysteriorum omnium promus condus. Ad quem  
sepulturæ honoribus afficiendum, quid est, quod Viros præveniunt Mulie-  
res? Quid quod fœmineo se generi primus offert vivus è mortuis Salvator?  
quod in Apostolici muneric cursu pedibus hic primum incedit abjecti sexus?  
*Chrysologus*, Prima inquit, ad perfidiam mulier, prima recurrit ad fidem; Pri-  
ma ad lacrymas, quæ prima in lapsu: prima audit ab Angelo salutis nuncium,  
quæ prima Diaboli senserat æstum. Mulier mali causa, peccari autor, via-  
mortis, sepulchri titulus, inferni Janua, lamenti necessitas tota. Quid mi-  
tum ergo, si ad lacrymas, ad funus, ad sepulchrum, ad obsequium domini-  
ci corporis ardentiori properet affectu fœmina? Cujus jam ante publico Sal-  
vatoris elogio ferebatur amor dicentis, *Multa illi sunt remissa peccata, nam di-  
lexit multum.* Vide Mariam Magdalenum, inquit Lutherus, & disce, quid  
sic amor. Sola Mulieres valde mane ad Christi pergunt monumentum, ut  
ungant JESUM: Latitant Apostoli, negligunt Viri, vel timore perculsi, vel  
ignaviæ remissi, vel incredulitate aversi: Solæ mulieres in officio persistunt,  
labori non parcunt, offenditionem & pericula (vah quanta!) non metuunr.  
Sed præ reliquis nescio quid non in Maria viderit Johannes Apostolus, tantæ  
scribendi accuratione dignum, & quod lectione ipsa inflammet Lectorem.  
Mortuum amat Maria, quem vivum amaverat, quem vitiorum animi exper-  
ta fuerat Medicum. Vivum nescit, sed Dominum fatetur, & Dominum  
hunc

hunc, quam primum per Sabbathi religionem licebat, mane summo querit.  
 Venit mulier, venit ad sepulchrū quod viris armatis, & JESU hostibus arcte  
 custodiri non ignorat: Sed venit tamen amoris cœco impetu. Et ecce!  
 lapidem videt ostio sepulchri amotum: deq; ablato corpore JESU conjectura  
 ducitur, animoq; perculta, citatissimo cursu ad Urbem ad Petrum & Johan-  
 nem: lachrymisq; obortis, abstulerunt, inquit, Dominum, & nescio ubi po-  
 fuerunt eum. Dominum meum abstulere; quid jam faciam misera? Verba  
 hæc amantis fœminæ Evangelista scribit: At quis affectum illum describat  
 Cordis? quis Oculorum illum quis manuum & totius corporis gestum?  
 Nuncio isto excitati Petrus & Johannes currunt ad sepulchrum, ingrediun-  
 tur, Corpus Domini abesse vident, & abeunt. Sequitur fœmineo cursu  
 discipulos Maria, non sequitur abeentes, sed stat ad sepulchrum, plorat, in-  
 curvat se in Monumentum, & quasi oculorum officio reducem facere pos-  
 ser, quem ablatum gemebat identidem prospicit. Et ecce duos Angelos al-  
 batros; qui etiam dicunt, Mulier quid fles? Reliquæ mulieres, ut est apud  
 Marcum, cum viderent Juvenem amictum stolâ candidâ, expaverunt & di-  
 gressæ cito fugerunt à monumento, tenebat enim eos stupor & tremor. At  
 quid Maria? nihil turbatur aspectu insolito, nihil alloquio angelico: cœca  
 enim amore, & sancte amens, querelam iterat, Domini corpus restitui vult,  
 id unicè querit: & merita est quæ prima inter omnes redivivum videret Do-  
 minum. Media namque inter querula verba, convertens se retrorsum &  
 astantem conspicit JESUM olitoris habitu. An hujus ergo præsentia  
 Mulierem terruit? nihil minus. Quæstioni insistit, si tu, inquit, asportasti  
 eum, dicio mihi ubi posueris eum, & ego eum tollam. Quid ais Mulier  
 amens? tu corpus virile emortuum non fugis sed queris? & bajulare te solam  
 posle præsumis? an fœmina id est? an virium tuarum? Sed non perpendit cœ-  
 cus amor, quid possit, tantum, quid velit. Nec passus diutius amore absen-  
 tis eam torqueri Dominus, uno verbo se ostendit, Maria. Illa se convertens  
 dicit, Rabboni: Et alia agit, quæ Evangelista tacet, innuit tamen, ut tute  
 ipse, quilegis, animi ductu in rem præsentem venias, ipse videoas, ipse au-  
 dias, quæ scribere ipse non potuit: nec ipsa dicere, sed amantissimo comple-  
 xu testata est. Et quid ego igitur describam? Cessat officium linguæ meæ, &  
 infra rem ipsam cogitatio hæc, quam Mariæ quam Raboni vox excitat impulsu  
 Spiritus illius, qui scrutatur omnia & attestatur Spiritui nostro, quod spiri-  
 tus veritas est. O Mulier magna fides tua: habes enim quem queris Do-  
 minum

minum: Vivum habes, quem quæris mortuum: Cœli terræq; dominato-  
rem habes, quem in servi forma amplecteris. Exultate quæ sequiore hoc  
sexu censemini, fœminæ: quæ sic rapitis ad vos Salvatorem; quæ officio pie-  
tatis Viros anteverritis, & ad Domini amplexum provocatis Apostolos. No-  
strum erit, Cives Academi præstantissimi, ab hisce nunquam satis laudandis fœ-  
minis vias adeundi Hortulanum hunc, qui mansiones nobis æterni fecit pa-  
radyli, discere. Qui non Hortulanus tantum, sed horti Dominus, & hortus  
ipse, imò vitis, cui implantati omnes, fructum ferimus, nec ferimus, nisi ipsi  
implantati. Invitat nos Sapientissimus Regum Salomon ad hujus Hortulanii  
contemplationem in sublimi sua ac mystica de Christo concione, quia in toto  
codice sacro vix ulla occurrit elegantior, quando Cantic. 2. Surge, inquit,  
amica mea, speciosa mea, & veni. Quia ecce hyems transfit, imber pertransivit,  
abiiit sibi flores apparuerunt in terrâ, tempus cantus advenit & vox turturis audita  
est in terra nostra: Ficus prostruit grossos suos, & vites ure minutæ dederunt odo-  
rem. Quibus verbis nos Messias tanquam Sponsus noster, ad spirituale gau-  
dium excitat, non tantum ob præteritam sub lege V. Testamenti rigorosam  
hyemem & dulcissimam in vere N. Fæderis Evangelicæ prædicationis vo-  
cem, auditam, acceptam, confessione redditam: sed etiam propter victoriæ  
de hostibus spiritualibus per Resurrectionem Christi partæ manifestationem,  
quando diræ passionis hyems præterit, ira & indignationis divinæ imber re-  
cessit: quando flores gratiæ apparuerunt & hos inter primus & maximus  
Christus primitiæ dormientium; quando tempus cantus confessionis Angeliciæ  
& Apostolicaæ, quod Christus revixerit, advenit: Ubi vox Turturis Ec-  
clesiæ suum SURREXIT, de quo supra, ingeminat: Ubi vera ficus justitiæ  
grossos suos protulit & longè lateq; odorificos fructus sparsit, Imprimis pa-  
cem cum DEO optatissimam, cuius electi in hac vitâ procellosâ per fidem  
sunt participes, eandem, ejusq; perfectionem gustaturi, quando imbre la-  
chrymarum omnimodo cessante, in resurrectione novissimâ, ceu flores le-  
chissimi, corporis & animi dotibus ornati vocem jucundissimam Sponsi, Ve-  
nire benedicti patris mei &c. audient, æternumq; Halleluja cantabunt. Ut  
itaq; hunc præsentem diem Paschalem, à Domino Dominantium unanimi  
totius Ecclesiæ consensu Dominicum dictum, rite celebremus & Mysterium  
Festo hoc notatum, pia & devota mente consideremus ejusq; fructum nobis  
applicemus: Aspice quo lo, mecum Vulnera Domini & Salvatoris nostri  
de Cruce pendentis, sanguinem morientis, precium redimenti, cicatrices  
refur-

159

relurgentis: Caput habet inclinatum ad osculandum, Cor apertum ad dili-  
gendum. Brachia extensa ad redimendum. Affixus hic qui fuit in cruce, to-  
tus debet esse fixus in Corde, cuius per dulcissimas rimas, licet nobis suge-  
re, ut Bernhardus loquitur, Mel de Perra, oleum de Saxo, & gustare, quam  
svavis sit Dominus. Ille qui potus est felle & aceto, nobis æternæ vitæ pro-  
pinat neetar & Ambrosiam. Indignum est, ut eo die laudes debitas taceat  
lingua carnis, quo caro surrexit autoris, quoq; tot beneficii totum genus hu-  
manum cumulavit Dominus. Hodie quippe Phœnix igne amoris vivi com-  
bustus, nos in cinerem infernalem redactos, novos phœnices genuit. Hodie  
Pelicanus nos miseris & deficientes Adæ posteros sanguine suo in cruce  
effuso & instillato vivificavit, justificavit, conservavit. Hodiè summus ille  
Pontifex & Sacerdos Melchisedech, Lapide Manali ab ostio Orci remoto,  
rorem svavem & pluviam salutiferam excitavit & aridum pectoris nostri ar-  
vum irrigavit. Ingratissimus certe sit, hec immensa Salvatoris nostri bene-  
ficia, si quis non agnoscat & vitulos labiorum non immolet: Judæis religio  
erat durante Pascha fermentum septem diebus domi habere. Nos, quinon  
ut Judæi typica, sed verâ & reali victimâ Paschali fruimur, in Azymis Syncer-  
ritatis vivere, veterem Adamum exuere, vetus fermentum expurgare & no-  
vam massam piis precibus vitæq; innocentia præparare in Cordibus nostris,  
debet. Judæi stantes lumbis accincti calceamentis induti, baculum manibus  
tenentes Pascha edebant, & iter in terram promissam Palæstinam matura-  
bant. Nos Christiani, qui per hujus diei, triumphum non in Palestinam  
sed in cœlestem patriam tendimus, animis erectis ab omnibus affectibus pu-  
ris festum hoc celebrare multo magis oportet. Judæi fasciculo hyssopi,  
sanguine agni tincto, postes alpergebant eoq; se adversus interfectorem mu-  
niebant. Nos Verbo & Mediantibus sacramentis precioso sanguine trium-  
phatoris agni immaculati abluti, ab infernali Draconis insultibus redditi su-  
mous securi. Latissimus hic se se campus beneficiorum Christi multiplici sva-  
vitate delectans, Agniq; Paschalis Domini nostri JESU CHRISTI  
memoriam mirifica Voluptate commendans offert: Verum cum ob angu-  
stiam pagellarum plura hic addere non licet: omnes Academiæ nostræ A-  
lumnos, quos præ aliis pietas, devotio & inculpata vita decet, rogo, moneo  
atq; hortor, ut hunc verum Solis diem, in quo Sol justitiae nobis illuxit, qui  
atras mortis nebulas dispulit, cæcas mentes gratiae radiis illustravit, tristia cor-  
da calore amoris fovit & refocillavit, omnibusq; apricari avertibus lucis

æternæ

æternæ potiundæ potestatem concessit, reliquosq; in sequentes dies festos, piis  
meditationibus, audiendis concionibus & fundendis ad Deum ardentibus  
precibus transfigant, discursationes diurnas nocturnasq;; Vociferationes be-  
linas studiose devitent, non Baccho vel Mavorti scyphis & gladiis cum ani-  
mæ & corporis periculo litent, sed agno immaculato, cuius memoriam ho-  
die Ecclesia celebrat, salutem & prosperitatem totius ordinis Academici  
commendent, Legibusq; nuperime publicatis per omnia conformes se præ-  
beant. Secus si faxint, nostrā coercionem non tantum sed & vindicem

Immanuelis nostri & æterni triumphatoris tarditatem iræ  
gravitate pœnæ compensantis manum  
experientur.

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectora-  
tus ipso Paschatos festo. Anno  
M. DC. LXII.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734934971/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734934971/phys_0011)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn734934971/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734934971/phys_0012)

DFG

relurgentis: Caput habet inclinatum ad osculandum  
 gendum. Brachia extensa ad redimendum. Affixus hic  
 tūs debet esse fixus in Corde, cujus per dulcissimas rim  
 re, ut Bernhardus loquitur, Mel de Perra, oleum de S  
 svavis sit Dominus. Ille qui potus est felle & aceto, n  
 pinat nectar & Ambrosiam. Indignum est, ut eo di  
 lingua carnis, quo caro surrexit autoris, quoq; tot bene  
 manum cumulavit Dominus. Hodie quippe Phœnix i  
 bustus, nos in cinerem infernalem redactos, novos phœ  
 Pelicanus nos miseros & deficientes Adæ posteros fa  
 effuso & instillato vivificavit, justificavit, conservavit.  
 Pontifex & Sacerdos Melchisedech, Lapide Manali ab  
 rorem svavem & pluviam salutiferam excitavit & aridu  
 vum irrigavit. Ingratiissimus certe sit, hæc immensa  
 ficia, si quis non agnoscat & vitulos labiorum non ima  
 erat durante Pascha fermentum septem diebus domi ha  
 ut Judæi typicæ, sed verâ & reali victimâ Paschali frui  
 ritatis vivere, veterem Adamum exuere, vetus ferment  
 um massam piis precibus vitæq; innocentia præparare  
 decet. Judæi stantes lumbis accincti calceamentis indi  
 tenentes Pascha edebant, & iter in terram promissan  
 bant. Nos Christiani, qui per hujus diei, triumphun  
 sed in coelestem patriam tendimus, animis erectis ab o  
 ris festum hoc celebrare multò magis oportet. Ju  
 sanguine agni tincto, postes alpergebant eoq; se advers  
 niebant. Nos Verbo & Mediantibus sacramentis pre  
 phatoris agni immaculati abluti, ab infernalis Draconi  
 nus securi. Latissimus hic se se campus beneficiorum  
 vitate delectans, Agniq; Paschalis Domini nostri  
 memoriam mirifica Voluptate commendans offert: V  
 istiam pagellarum plura hic addere non licet: omnes  
 lumnos, quos præ aliis pietas, devotio & inculpatæ vi  
 atq; hortor, ut hunc verum Solis diem, in quo Sol justi  
 atas mortis nebulas dispulit, cæcas mentes gratiæ radici  
 da calore amoris fovit & refocillavit, omnibusq; ap



ad dili  
 ice, to  
 s suge  
 , quam  
 tæ pro  
 taceat  
 us hu  
 icom  
 Hodie  
 cruce  
 is ille  
 moto,  
 stri ar  
 i bene  
 religio  
 qui non  
 Syncer  
 & no  
 nostris,  
 anibus  
 natura  
 inam  
 pus pu  
 yssopi,  
 m mu  
 trium  
 diti su  
 lici sv  
 ISTI  
 angu  
 træ A  
 moneo  
 it, qui  
 tia cor  
 s lucis  
 æternæ

Image Engineering Scan Reference Chart T0263 Serial No.